



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

54. An in extrema necessitate, deficiente aqua naturali, sit adhibendus
baptismus sub conditione cum glacie, pruina, rore, nive, vel sale, quandiu
resoluta non sunt? Et an ad validitatem Baptismi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

Sup. his om- cum ex herbis, floribus, radicibus, frondibus, aliisque mixtis perfectis per distillationem elicitum posse esse materiam Baptismi, quia nempe substantialiter succi hujusmodi differunt ab elementari aqua, materia necessaria sacramenti Baptismi, ex Concilio Florentino sub Eugenio IV. Tertio posset, & lege & Trid. sess. 7. de fide Catholica. Et sicuti materia idonea Eucharistiae nequit esse nisi panis, & vinum univoce, non verò illa, quae sunt aequivoce talia, sic materia Baptismi nihil poterit esse, nisi id, quod est aqua univoce, sed artificiales, ut rosacea, &c. quae sunt per stillicidia, aequivoce sunt aquae, & non univoce: ergo.

2. His tamen non obstantibus non desinam hic adnotare ad dubium praesentis resolutionis, affirmativè respondere aliquos Doctores recentiores, ut Joannem Puteanum Professorem Regium sacrae Theologiae in Academia Tholosana in 3. part. D. Thom. q. 66. art. 4. n. 5. ubi sic ait: Monco, si daretur, v. g. aqua rosacea, & nullo modo aqua naturalis, nec potest haberi, & periclitaretur baptizandus, posset Baptismus conferri in aqua rosacea, quia licet Concilia exigant ad validitatem Baptismi aquas naturales, quales sunt pluviales, maris, & quorumcumque fontium, & fluminum, non tamen definitur haec in nullo planè casu ullam aliam aquam à naturali non sufficere ad validitatem Baptismi. Deinde, quia aqua rosacea majorem affinitatem videtur habere cum aqua naturali, quam aqua quorumcumque fontium. Ita Puteanus.

3. Nec solus Puteanus supradicta docet; sed novissimè hanc sententiam tenet Joannes Prapositus in 3. part. D. Thom. q. 66. art. 4. n. 22. ubi sic asserit: Adverte quòd quia Baptismi sacramentum est maxima necessitatis, si occurrat extrema necessitas Baptismi alicui conferendi, utpotè aliàs sine illo morituro, posset Baptismus saltem sub conditione eidem conferri in materia dubia, deficiente indubitata, quia nulla irreverentia conferretur irrogari Sacramento, quòd proximo alioquin morituro per medium etiam dubium succurratur, & de cætero charitas in tali circumstantia obligat, ut adhibeamus omne medium, quo fortè poterimus eidem proximo succurrere. Hinc est, quòd licet ea, quae notabili secundo diximus, non esse materiam convenientem Baptismi, sint conformia communiori Doctorum sententiae, quia tamen de quibusdam aliqui dubitant, ut de aqua rosacea, &c. in extrema necessitate deficiente materia certa, licet in hujusmodi baptizare saltem sub conditione, sublato tamen periculo, Baptismus saltem sub conditione esset repetendus. Hæc Prapositus Societatis Iesu insignis Theologus, ubi supra. Et hanc sententiam ex eadem Societate docet etiam Adamus Tannerus in Theolog. Schol. tom. 4. disp. 4. q. 1. dub. 2. num. 41. quibus etiam adde Chamerotam de Sacram. tract. 2. de Baptism. cap. 2. dub. 2. ubi sic ait: Est opinio recentiorum posse per alambicum, vel per artificialem stillationem ex succis herbarum elici aquam veteram elementarem, licet admixtam secundis qualitatibus; & ego urgente necessitate in his aquis baptizarem, sed rebaptizarem cum conditione; adveniente aqua elementari. Sic ille. Unde secundum hanc opinionem si aliquis deficiente aqua naturali periclitaretur, baptizari posset sub conditione, non solum cum aqua rosacea, vel aliorum florum per distillationem elicita, sed etiam cum succo expresso ex herbis, & frondibus, ut observat Tannerus loco citato. Et hæc dicta esse volo secundum mentem supradictorum Doctorum:

nam ego proflus puto non esse discedendum à prima sententia negativa.

4. Non desinam tamen hic adnotare, rectè P. Joannem de Lugo de Sacram. disp. 8. sect. 9. n. 140. docere in extrema necessitate, non inventa aqua certa, sed liquore aliquo, de quo dubium esset, an esset aqua, nec posset id examinari; pone enim esse locum obscurum, nec odore, aut gustu posse id percipi, posse in tali casu existentem in periculo mortis sub conditione baptizari; Qua cum præceptum illud oriatur baptizandi absque tali materia oriatur ex reverentia sacramenti, sequitur, ut in praedicto casu non obliget tale præceptum, eo quod summa indigentia proximi, cui aliter subvenire non possumus, præponderet illi reverentiae, & reddat licitam talem operationem, propter necessitatem.

RESOL. LIV.

An in extrema necessitate, deficiente aqua naturali, sit adhibendus Baptismus sub conditione cum glacie, pruina, rore, nive, vel sale, quando resoluta non sunt?

Et an ad validitatem Baptismi sufficiat, quod aqua attingat baptizatum, si cum non abluat?

Et an, si in ipsa applicatione nix, glacies, &c. resolvantur, sint materia sufficiens Sacramenti Baptismi? Ex p. 5. tr. 3. Res. 3.

§. 1. Negativam sententiam docet Petrus à Sancto Joseph de Sacram. part. 2. disput. 1. sect. 2. in fine, ubi sic ait: In necessitate potest assumi materia dubia, & tunc Baptismus conferri. Non probo tamen, quod nonnulli dicunt, satis esse in extrema necessitate, deficiente aqua, Baptismus applicare cum nive, aut glacie. Ita ille. Et ratio est, nam glacies, pruina, grandis, nix, quamvis sint substantialiter aqua, attamen quando talia sunt, & non resoluta, materia Baptismi esse non possunt, quia non sunt apta materia ad abluendum. Et ita docent per omnes Doctores in superiori resolutione pro prima sententia adducti, & in specie Coninch. de Sacram. q. 66. art. 4. dub. 1. num. 23. & hanc sententiam ego teneo.

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam docet Puteanus in 3. p. D. Thom. q. 66. art. 4. dub. 1. num. 5. ubi sic ait: Extra controversiam est, glaciem, nivem, grandinem, & salem non sufficere ad confectionem Baptismi, licet enim hæc sint ejusdem rationis cum aqua naturali, non tamen apta sunt ad abluendum proxime: est autem simpliciter necessarium ad hoc ut aliquid rationem Baptismi habeat; quod proxime possit abluere. Probatur enim Baptismus esse abluitionem, in extrema tamen necessitate satis esset applicare cum nive, vel glacie sacramentum Baptismatis, quam administrationem prætermittere. Joannes enim Major, & alij putant sufficere ad validitatem Baptismi, quòd aqua attingat baptizatum, etiam si eundem non abluat. Ita Puteanus, quod etiam loquens de nive docet Joannes Prapositus in 3. p. D. Thom. q. 66. art. 4. num. 22. & novissimè doctus Hurtadus de Sacram. tract. de Baptism. disp. 1. diff. 2. ubi sic asserit: In extrema necessitate licitum est uti aqua, quamvis notabiliter permixta, imò & dubia, ut nive nondum resoluta sub hac conditione sive exterius, sive mentaliter tantum apposita, nempe si materia hæc est idonea, quia extrema necessitas excusat irreverentiam, quæ aliàs fieret conficiendo Sacramentum sub conditione. Sic ille.

§. Sed

INTON
Opera
Tom. 1 & 2
E III

Sup. hoc le- ge §. penult. Rel. præce- pta, & in tom. 3. tr. 1. ex Rel. 3. le- ge doctri- nam §. 1. & 2. & §. Imo.

Sup. hoc su- pra in Ref. 10. & 51.

Quo ad cōtentum in hoc & seq. §. supra ex Ref. 50. lege §. Sed affirmativum a medio.

3. Sed ex his oritur alia curiosa dubitatio, an si in ipsa applicatione nix, seu glaciēs resoluantur, sint materia sufficiens sacramenti Baptismi? Adamus Tannerus in *Theol. Schol. tom. 4. disp. 4. qu. 1. dub. 2. num. 44.* respondet, quod si dum subliunt manibus adhuc, vel applicationi baptizantis resoluantur ante ipsam receptionem in corpore baptizandi, tunc utique docet, sufficientem fore materiam Baptismi; si verò resolutio primum fiat in corpore baptizandi, tunc non videtur valere Baptismus, quia revera is, qui baptizat, non adhibet materiam ablutioni aptam, ideoque nec proprie abluat, sed si qua fit ablutio, sit potius ab eo, qui baptizatur. Ita Tannerus.

4. Verum non desunt Doctores asserentes materiam proximam Baptismi sitam esse in ablutione, ut passiva, & non ut activa & ita docet Suarez in *3. p. tom. 3. disp. 20. sect. 2. Sotus in 4. disp. 3. art. 1. §. ex quo fit,* & alij, licet Vasquez in *3. part. tom. 2. disp. 1. 4. 1. cap. 2. Petrus Ochagavia de Sacram. tract. de Baptism. quest. 3. Coninch. de Sacram. q. 66. art. 4. dub. 2.* & alij asserant ablutionem tam ut activam, quam ut passivam, utrovis modo esse materiam Baptismi. Unde utraq; opinio est probabilis.

RESOL. LV.

An Sacerdos baptizans cum aqua non benedicta peccet mortaliter?

Et quid, si alij exteriores ritus, insufflationes, unctioniones, & similes ceremonie desissent in solemni Baptismo; vel si sine stola, aut superpelliceo fieret Baptismus? Ex part. 9. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 32. alias 33.

§. 1. **N**egativam sententiam tenet Quintanaduēnas in *Theolog. moral. tom. 1. tract. 1. singul. 22. num. 2.* [Quia nullum extat Præceptum, nec divinum, nec positivum, de baptismalis aquæ benedictione præmittenda. Secundo, quia ex gravitate, vel levitate materia colligitur gravitas, vel levitas peccati in transgressione cujusvis Præcepti, & nominatim in omissione Rituum, qui præscribuntur in celebratione Missarum, ut docent omnes Doctores relati: si autem ommissio fiat alicujus ceremonie gravioris, continentisque specialem significationem, materia erit gravis, ut si quis omittet mixtionem aquæ, & vini, fractionem Hostiæ, aut mixtionem; vel signa omnia, vel plura, quæ sunt super oblata, & alia hujusmodi: ergo, ex gravitate materia censenda erit lethalis, vel non lethalis, ommissio alicujus ritus in celebratione solemnis Baptismi; sed materia gravis non videtur, quod aqua sit benedicta, cum solum ob majorem decentiam benedictio addatur aquæ: ergo &c.]

2. Consonat his Granado: Peccabit graviter, inquit *contr. 4. de Bapt. tract. 2. disp. 1. num. 5.* si baptizans conferat Baptismum sine debita solemnitate, id est, sine illis ceremoniis, quas Ecclesia præscripsit: si autem unam, vel alteram rem minimam prætermittet, culpa esset levis. Aqua non benedicta baptizare, quid leve debet existimari; cum benedictio, nec ad essentiam, nec ad integritatem Sacramenti, nec ad justificationem, intentionemve baptizandi, nec ad essentialem Baptismi solemnitatem, nec ad gravis significationem mysterij pertineat. Nec levissimum luboretur scandalum, si aqua non benedicta fiat Baptismus: sicut oriretur, si alij exteriores ritus, insufflationes, unctioniones, & similes

desissent in solemni Baptismo; vel sine * stola, aut * Super his superpelliceo fieret; ergo, &c.] Hæc omnia Quintanaduēnas ingeniosè, ut semper solet.

3. Sed ego, Sacerdotem cum aqua non benedicta baptizantem, reum culpæ lethalis esse existimo: nec talis benedictio levis materia censenda est, ut de se patet. Primum, quia versatur circa materiam ipsius Sacramenti. Secundo, quia habetur in Manuali specialis benedictio. Tertiò, quia talis benedictio non efficitur, nisi in Sabbatho Paschæ, & Pentecostes. Quarto, quia in ipsa benedictione adhibetur trina infusio Sacri Crismatis in modum Crucis; quæ omnia satis demonstrant, talem benedictionem rem levem non esse, ut vult Quintanaduēnas: & de illa mentionem fecerunt Dionysius de celest. Hier. cap. 2. punct. 2. Augustinus homil. 27. & 50. & lib. 6. contra Julianum, cap. 8. & Ambrosius lib. 1. de Sacrament. cap. 5. & Rabanus lib. de institut. Cleric. cap. 28. relatus in cap. Deinde de conf. disp. 4. Unde Lessius in 3. part. quest. 71. n. 6. ex D. Basilio lib. de Spiritu Sancto, cap. 2. dicit, consecrationem aquæ esse traditionem Apostolicam.

4. Et ideo nostram sententiam, præter Nugnum Suarez, & Bonacinam à Quintanaduēnas citatos, tenet ex Societate Jesu Castr. Palaus *tom. 4. tract. 19. disp. unica. punct. 1. 2. num. 3.* Ioannes Præpositus in 3. part. D. Thomæ, quest. 71. art. 4. dub. 1. n. 5. ubi licet ait: [Notandum, quod licet materia sufficiens Baptismi sit quævis aqua naturalis; non possit tamen absque peccato extra necessitatem conferri in aqua non benedicta secundum ritum Ecclesiæ. Itaque Baptismus debet administrari in aqua, quæ solet pridie Paschatis, & Pentecostes consecrari, cum infusione Crismatis: quæ si deficiat, alia etiam extra illa tempora est consecranda: imò, si talis commode possit haberi, est adhibenda in Baptismo, etiam non solemni, in quo tamen non videtur magnus scrupulus faciendus.] Ita ille, cui adde Hurtadum de Sacram. Baptism. disput. 5. difficult. 2. ita aientem: [Aqua naturalis, quæ necessaria est ad valorem Baptismi, debet esse benedicta peculiariibus invocationibus, & consecratione, trina Crismatis perfusione, ut habetur in Rituali, non necessitate Sacramenti, sed tantum Præcepti Ecclesiastici, orta ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine.] Hæc Hurtadus. Vide etiam Mercerum in 3. part. D. Thomæ, q. 71. art. 4. propos. 4. Rectè itaque dixit D. Cyprianus lib. 1. Epist. 12. [Oportet ergo mundari, & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit Baptismo suo, peccata hominis, qui baptizatur, abluere.]

RESOL. LVI.

Utrum obstetrices teneantur scire formam Baptismi, & modum baptizandi?

Et an Sacerdos peccet saltem venialiter, si proferat formam Baptismi in lingua vulgari; quia de obstetricibus, & secularibus non est dubitandum? Ex part. 2. tr. 1. §. & Misc. 1. Ref. 46.

§. 1. **T**eneri putat Paludan. in 4. sent. disp. 5. q. 2. art. 1. n. 7. De Anton. p. 3. c. 1. §. 4. Turrectem. in cap. si mulier. de consecr. disp. 4. in fin. & ex neotericis Navarr. in manu. c. 2. n. 6. Henriquez lib. 2. c. 29. n. ult. Sà ver. Baptismus num. 12. Zambran. in suis dec. c. 1. dub. 16. Reginald. tom. 2. lib. 17. c. 6. n. 45. & novissimè Rodriq. in sum. H. span. tom. 3. c. 26. n. 5. ubi ait: [Vista la necesidad del Baptismo, y que muchas vezes no suffice dilacion, por muy pequeña, que sea, y que ninguno mejor, y con mas brevedad